Stachetka Stanislai: Phoebus post nubila academico refulsit hemisphaerio.

PHOEBVS
POST NVBILA,
Academico resulsit Hemisphærio,

DVM

In Peraugusto Serenissimi Academiæ Fundatoris

DIVI VLADISLAI IAGELLONIS ARCHILYCEO,

In Numerosissimâ Omnium Academiæ Ordinum frequentiâ

Magnificus, Clarissimus, & Excellentissimus D.

D. FRANCISCVS ROLINSKI, (+ 1674)

Philosophiæ & Medicinæ Doctor, & Professor Ordinarius, Consul Cracouiensis,

Concordibus Omnium Doctorum, & Professorum suffragiis,

IN

GENERALEM RECTOREM

Studij Almæ Vniuersitatis Cracouiensis

lætissimè renuntiaretur.

Conscendenti Augem Honoris Academici

M. STANISLAVS SLACHETKA Leopol.

Collega Minor, & Ordinarius Eloquentiæ Professor,

Debiti cultus, & obseruantiæ ergò

Metris Lyricis applausum exhibuit.

CRACOVIÆ, 1657)

In Officina Viduæ & Heredum Francisci Cæsarii, S. R. M. Typ.

Magnifice Domine Rector.

Biennium exactum est, ex quo Mars Sueticus armato cinctus satellitio, Cracopoli dolosè occupata, pulsis in exilium Camoenis, Parnassum Iagelloneum, reddidit otiosum. Tunc enim Amplissimum Theologiæ squalebat domicilium, Peripatus quasi senio quodam confectus affictabatur, Exedræ laboriosis viduatæ Professoribus mœrebant, cæteraq; Musarum delubra, lugubre quoddam tristitiæ exhibebant argumentum. Furente Marte, sæuiente Bellonâ, omnia circumsonabant armis, tympanorum strepitu, classicorum fragore, nocturnis militum excubantium clamoribus, equorum hinnientium fremitu, varioq; tumultu bellico cuncta miscebantur. Ipsa etiam Academica Pallas exosa tubarum, & tympanorum horrores, & fatalia tormentorum carmina, proprijs egressa laribus, varias orbis lustrauit regiones. Hæc nubila, hæ tenebræ in Iagelloneo dominabantur Hemisphærio, quæ tanquam Cimmeriæ vmbræ, ita illud inuoluerant, vt neq; clarissima ex luce sapientiæ Academica Maiestas, neq; illustre ex splendore Doctorali nomen, neque ardens ex calore indolis, virtus eo tempore elucebat. Deleuerant hanc ingrauescentis caliginem noctis euoluti diuinæ benignitatis radij, serenus illuxit Academico Orbi Phœbus, cùm TE MAGNIFICE DOMINE RECTOR *Diuina Prouidentia hac turbulentâ tempestate præfecit nobis amicum Luminare. Renouabitur iam pulcherrima Vniuersitatis amplitudo, confusa rerum series, iterum pristino restituetur tenori, antiqua Academicis charitas, & sincerus suscitabitur candor, deniq; Professores varios nouercantis fortunæ perpessi ictus, Tuâ singulari affulgente Prudentia, indubitatam consolationis recipient medelam. Magnum Professoris munus est, honorificum, & arduum, cùm in laboriosa continuò studiorum decurrat orchestra. Lucet ille cunctis discentibus, sensim tamen consumitur & nisi affundatur oleum, vt lampas extinguitur. Impleuit Magnificentia Vestra laboriosi Professoris numeros, in se semper absolutissimum benè regendi expressit exemplar, effinxit viuam Optimi Ciuis Academici imaginem, dum in Generalibus Comitiorum Academicorum congressibus, explicata fronte in grauissimis negotijs dexterrimè egit. Fouebit Magnificentia Vestra (vt non dubia spe nobis pollicemur) Professores leniter, & paternè, moderabitur latissimè clauum Reipublicæ Academicæ, cùm assistentem habeat Prudentiam, præsidebit felicissimè in Comitijs Academicis, cùm* TE M. D. RECTOR *vnum præ multis negotiorum suorum, robustum animo Atlantem Alma Vniuersitas expetiuerit. Ingredere iam fortunatus Tuo accessu* RECTORALI *nouam, meritis & virtutibus pridem Tuam Honoris sedem* MAGNIFICE DOMINE RECTOR, *sedes hæc quamuis vigiles foueat curas, nihilominùs inter decumani laboris onera, Iupiter melle pluet, & si quæ erunt molestiarum absynthia, cœlesti iucundissimæ voluptatis ambrosia temperabit. Ipse loci istius Custos & Tutelaris* DIVVS IOANNES CANTIVS *animabit, & saluberrima in arduis suggeret consilia. Viue itaq; in longissimos annos saluus & incolumis* MAGNIFICE DOMINE RECTOR, *meum Epænon gratulatorium sereno suscipe animo, meque solito affectu, ac beneuolentia complectere. Hoc efflictim apprecor, omnium vota in hoc sunt, huc omnium Tuæ felicitati velificantium vota approperant, vt viuas ad ornamentum & decus Academiæ.*

ODE

ODE GRATVLATORIA.

ODi malignum vulgus, & horreo,
Abſcede, quiſquis faſcibus inuides,
Frontique Doctorum coronas
Detrahis, inuidiæ Satelles.
Virtutis hæ ſunt Stemmata feruidæ,
Et laureatæ præmia gloriæ,
Monile bullatum laboris,
Aoniæque decus phalangis.
En literati ſydus amabile
Orbis ROLINSKI doctus, adoreas
Geſtat triumphales ſubactis
Hoſtibus, edomitiſque monſtris.
Vectus coruſco Palladis eſſedo,
Illuſtre honoris iam Capitolium
Scandit, perennaturus orbi
Dotibus ingenij venuſtis.
In quâ palæſtrâ conſeruit manus?
Quibuſque telis, quaué panopliâ
Munitus, in campum togatæ
Fortis Agonoth etes Mineruæ
Deſcendit? aut quos hercule proſpero
Proſtrauit hoſtes? exitialia
Quæ monſtra? quas Chimæras?
Quo duce tanta legit trophæa?
Si fortè flagras noſſe ROLINSCII
Felicitatem rebus in arduis,
Primos Iuuentæ volue curſus,
Ingenio validum videbis.
Intrâſſet Arcem cùm Iageloniam
Sceptriſque fulgentem, & diademate,
Mox baltheo ſe militari ob-
Strinxit in obſequium Mineruæ.
Iam per frequentes iuit alacriter
Clarus ROLINSKI non ſine gloriâ
Turmas laborum, pertinaci
Hic ſtudio Stephanoma primum
Prehendit, altis paſsibus inclyta
Progreſſa virtus culmen in arduum
Scientiarum, mox honoris
Alterius cidarim capeſsit.

Isthmum Sophorum difficilem satis
Lustrauit acris viribus ingenii,
Aurêumque vellus literarum
Non secus atque sagax Iason
Recepit, hortis Hesperidum extulit
Dracone victo, poma micantia,
Id est, noua ornamenta laudis
E nitidis Sophiæ viretis.
Fallaciarum nubibus vndique
Septum, figuræ, Protea, redditum
(Intelligo ipsam Veritatem)
Nonne prehendit eam potenter
Vt alter Eurysteus? Hic Apollinis
Sedes, & vrbem Antenoris incolens,
Domos sacratas sic Hygeæ
Ingenio penetrauit acri:
Vt Iura mundi, certaque fœdera,
Formasque rerum, thaumata Dædalæ
Stupenda naturæ, & recessus
Mente sagax reserârit altâ.
Vicit Lechæos arte Machaonas,
Et eruditos tunc Podalirios
Quando Patauinas Athenas
Incoluit, Medicam Palæstram
Sic triuit eius nobilis indoles,
Artisque radix Experientia,
Vt præmium ferret laboris
Dum tenuit Prytanæa Paduæ.
Multos tyrannos corporis expulit
Morbos, in illâ sede gerusiæ,
Ægrisque vires iam labantes
Restituit Ioue prosperante.
Consoque præstans Te VENETVS diu
Legatus ad se non sine præmijs
Trahebat, vt Turcæ potentis
Regna simul peteres opima.
O suauis almæ flos sapientiæ,
Nostræ palæstræ gloria, lux, decus,
Lucesce, fax nostra es, minora
Luna velut nitet inter astra.